

ALOISIVS DE AQVINO

PROTHONOTARIVS APOSTOLICVS,

Vtriusquè Signaturę Sanctiſſimi Domini Noſtri Papę Referendarius, nec non Curię Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanęquè Curiæ Iudex Ordinarius Sententiarum quoquè, & Cenſurarum tàm in eàdem Romana Curia, quàm extrà eam latarum, ac litterarum Apoſtolicarum quarumcumquè Vniuerſalis, & merus Exequutor ab eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa Specialitèr deputatus.

VNIVERSIS, & ſingulis Reuerendis Dominis Abbatibus, Prioribus, Prępoſitis, Decanis, Diaconis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Theſaurarijs, Sacriſtis tàm Cathedralium, quàm Collegiatarum Canonicis, Parochialiumquè Rectoribus, eorundemquè Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, alijſque in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, Clericis quoquè Notarijs, & Tabellionibus publicis quibuſcumquè, illiquè, vel illis &c. Salutem &c. NOVERITIS infraſcripta die pro parte Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Domini Angeli Mariæ Angeli Flauij Comneni Macedoniæ, & Moldauiæ Principis, & Driuaſti, & Dyrrachij Comitis ex claris Imperatoribus Flauiorum Auguſtorum Romanorum, moxquè Conſtantinopolitanorum orti natalibus tamquàm in gradu ab eis deſcendentes exiſtentis, & Sacræ Militiæ, ſeu Religionis Aureatæ Conſtantinianæ ſub Regula Beati Baſilij, ac Titulo Sancti Georgij Magni Magiſtri Principalis comparitum, & expoſitum extitiſſe, quod dicta ſua Excellentiſſima Familia à diuerſis Summis Pontificibus decorata fuerit quamplurimis gratijs, & priuilegijs, prout etiam dicta militia, & præcipue à felicis recordationis Paulo Papa tertio ratificationis Priuilegiorum aliàs ab Imperatoribus, & Regibus Familiæ Angelæ Flauiæ Comnenæ conceſſorum, Nempe Milites, ſeu Aureatos Equites, Comites, Barones, cum hæredibus ſuis in perpetuum, ac Notarios, Tabelliones, & Iudices Ordinarios, ne non Doctores in quibuſcunque facultatibus creandi, & faciendi; Poetaſquè laureandi, & de Iure, vel de facto infamatos abſoluendi, ac omnes, & quoſcunquè Spurios, Manſeres, Inceſtuoſos, Baſtardo, & alios quoſcunquè ex quocunquè illicito, & damnato coitu procreatos, & procreandos copulatiuè, & disiunctiuè legitimandi, aliaſquè facultates exercendi, & per Caliſtum tertium, Pium Secundum, & Sixtum quartum aliàs ratificatorum ad inſtantiã Pauli Angeli, & Andreæ etiàm Angeli Frattum Canonicorum Eccleſiæ Driuaſtenſis, prout dicitur ex ſuis litteris Apoſtolicis ſub Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno 1548. Kal: Maij Pontificatus Anno Sexto. Item Confirmationis aliorum Priuilegiorum in actis, & Proceſſu Cauſæ, & Cauſarum huiuſmodi ſuis loco, & tempore exhibendorum, Ipſumquè Excellen-

tiſſimum

tiſſimum Dominum Inſtantem, vti ex dicta Familia dependentem à pluribus
annis reperiti, ac eſſe in quieta, & pacifica poſſeſſione Magni Magiſterij
dictæ Religionis Conſtantinianæ Sancti Georgij, & tanquàm talem, vt aſ-
ſeritur non ſolùm fuiſſe recognitum, & recognoſci ab Vniuerſa Religione,
eiuſquè Procuratoribus, & Commendatarijs, ſed etiam à Sancta Sede
Apoſtolica, & Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Decimo, & Sancta
memoria Clementis Noni eius Prédeceſſoris, & à Sacris Congregationibus
Cardinalium, & alijs in omnibus actibus, & præſertim, quod Dominus
Don Petrus Gomez Procurator Generalis eiuſdem Religionis ab Ipſo Do-
mino Exponente deputatus, fuit admiſſus in Cappella Pontificia, ibiquè
cùm alijs Procuratoribus Generalibus Religionum actualitèr locum obti-
net. Ideòquè ſuper dicta eius quieta, & pacifica poſſeſſione dicti Magni
Magiſterij, ac prædictis Priuilegijs, Gratijs, Indultis, immunitatibus, &
exemptionibus, vt ſupra conceſſis, ac fruitione, & vſu illorum, mituſ-
què in regimine, & adminiſtratione dictæ Religionis Eccleſiaſticæ eiuſquè
Magno Magiſterio. inconſulta Sancta Sede Apoſtolica, & de mandato
Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, quouis ſub prætextu, & Cauſa moleſtare
minimè poſſe. Nihilominus Illuſtriſs. & Excellentiſs. Dominus Princeps
Theodorus Triuultius tanquàm aſſertus dependens per lineam fœmininam
à Familia Comnena, & forſan alij in exequutione præſentium nominandi,
& cognominandi ſe ſe iactarunt, & iactant velle eundem Excellentiſſimum
Dominum Inſtantem ſuper dicta eius quieta, & pacifica poſſeſſione dicti
Magni Magiſterij, eiuſquè annexis moleſtare &c. atquè in eo ſe intrude-
re de facto abſquè aliqua authoritate Sanctæ Sedis, prout ſe intruſit, & quo-
dam Capitula ſub die Decima Octaua Ianuarij proximè præteriti ſuper di-
cta Religionis Regimine, eiuſquè recognitione ſubſcripſit, diſtribuendo
etiàm, vel deſtinando Commendas, & alia munera dictæ Religionis, pro-
ut de præmiſſis omnibus in actis &c. ſufficientèr iuſtificabitur. Qua propter
AD NOS recurſum habuit debita cum Inſtantia requirendo, quatenus in
præmiſſis de opportuno Iuris remedio prouidere dignaremur: NOS igitur
ALOISIVS DE AQVINO Iudex, & Auditor præfatus, Atten-
dentes petitionem huiuſmodi fore, & eſſe iuſtam, rationiquè conſonam,
cùm iuſta petenti non eſt denegandus aſſenſus, vobis omnibus, & ſingulis ſu-
pradictis, & veſtrum cuilibet inſolidum tenore præſentium Committimus,
& in virtute Sanctæ obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs
ſtatim viſis, ſeu receptis præſentibus, & poſtquàm præſentium vigore
fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, ex parte noſtra imò
verius Apoſtolica auctoritate moneatis, & requiratis, ac moneri, & re-
quiri faciatis prout Nos per præſentes monemus, & requirimus dictum
Excellentiſſimum Dominum Theodorum Triuultium omneſquè, & ſingu-
los alios in executione præſentium nominandos, & cognominandos, eiſ-
demquè, & cuilibet eorum Inhibeatis in inhibendo expreſsè præcipiatis, &
mandetis, prout Nos per præſentes inhibemus, præcipimus, & manda-
mus, ne ſub mille Ducatorum auri in auro Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ
applicandorum, & pro illis, mandati exequutiui, & in Iuris ſubſidium
excommunicationis, alijſquè Eccleſiaſticis ſententijs, Cenſuris, & pænis
audeant, ſeu præſumant, nec eorum aliquis audeat, ſeu præſumat dictum
Excellentiſſimum Dominum Inſtantem ſuper dicta eius quieta, & pacifica
poſſeſ-

poſſeſſione dicti Magni Magiſterij moleſtare vexare, perturbare, inquietare, impedire ſeu moleſtari, vexari, perturbari, inquietari, impediri facere, nec quicquam aliud contra formam, & tenorem præſentium Noſtrarum litterarum, & in præiudicium, grauamen, & damnum dicti Domini Inſtantis, &c. contra formam, & tenorem præſentium Noſtrarum litterarum Apoſtolicarum, ac Sanctæ Sedis Apoſtolicæ vilipendium facere, & innouare, ſeu fieri, & innouari facere per ſeſe, alium, ſeu alios ſub quouis prætextu, vel quæſito colore, quod ſi ſecus factum fuerit, id totum reuocabimus, & in poſterum ſtatum reducere curabimus Iuſtitia mediante, quinimò infra ſex dierum ſpatium quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio, vltimo, & peremptorio termino, ac Canonica monitione aſſignamus, &c. Vos aſſignetis eiſdem ſub iam dictis ſententijs, Cenſuris, & pœnis debeant ab omnibus, & ſingulis iactationibus, vexationibus, perturbationibus, inquietationibus, impedimentis, & moleſtationibus dicto Domino Inſtanti ſuper præmiſſis, illatis, factis, &c. præſtitis, ſeu inferri comminatis, dandiſque, & inferendis pœnitùs, & omninò ceſſaſſe, & abſtinuiſſè Ipſum Dominum inſtantem, eiuſquè familiam inquieta, & pacifica poſſeſſione dicti Magni Magiſterij, eiuſquè annexorum, & dependentium manutenuiſſe, & conſeruaſſe prænarratasquè litteras Apoſtolicas debitæ executioni demandaſſe, ceſſariquè, manuteneri, & debitæ executioni demandari, & quæcunquè decreta, ſententias, & mandata neceſſaria, & opportuna concedi, & relaxari vidiſſe ad fauorem dicti Domini Inſtantis deducentium in præmiſſis omne ſuum ius, & remedium ſi vndecunquè, quomodocunquè, & quomodolibet proueniens, & nobile officium iudicis implorans non ſolùm &c. ſed &c.

ALIOQVIN prædictos ſic monitos ſi in præmiſſis ſeſe fore grauatos ſenſerint peremptoriè citetis, prout Nos citari mandemus, quatenus vigeſima die iuridica ab executione præſentium computanda ſi dies ipſa iuridica fuerit, alioquin alia prima die iuridica compareant Romæ in iudicio legitimè coram Nobis, & per acta infraſcripti Notarij per ſeſe, ſeu Procuratores ſuos idoneos cum omnibus actis, & ſcripturis publicis, &c. Cauſam eorum prætenſi grauaminis allegaturi, & recepturi, prout Iuſtitia ſuadebit, & ordo dictauerit rationis. CERTIFICANTES eoſdem ſic monitos, quod ſi in dicto Citationis termino non comparuerint, Nos Nihilominus ad præmiſſa, & alia grauiora Iuris, & factis remedia procedemus dictorum Citatorum contumacia, vel abſentia ab Vrbe in aliquo non obſtante. Abſolutionem verò à præmiſſis Nobis tantummodò reſeruamus.

In quorum &c.

Datum Romæ ex ædibus noſtris hac die quarta Februarij milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio.

Aloiſius de Aquino Auditor.

Tomas Palutius Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius.

Monitorium ſuper manutentione.

Regiſtratum libro Expeditionum fol. 11.

Loco ✠ Sigilli impreſſi.

Digitized by Google

Beatiſſime Pater.

Diebus proximè præteritis fuit ad inſtantiam Epiſcopi Illerdenſis Sanctitate Veſtræ ſupplicatum; quatenus dignaretur committere Congregationi Concilij reſolutionem dubij infraſcripti.

An Milites Ordinum Militarium Sancti Lazari, Sancti Stephani, ac Conſtantiniani ſub titulo Sancti Georgij poſſint beneficia Eccleſiaſtica Sæcularia abſque diſpenſatione Apoſtolica obtinere? Et Congregatio de ordine Sanctitatis Veſtræ id reſoluit, in Ordinibus Militaribus Sancti Lazari, ac Sancti Stephani, quod poſſunt: In Ordine tamen Conſtantiniano ſub titulo Sancti Georgij reſolutio capta non fuit, ex quo dubitatum fuit, An dicta Militia Conſtantiniana ſub titulo Sancti Georgij eſſet Religio?

Supplicatur Sanctitati Veſtræ, vt eidem Congregationi de nouo committere dignetur tam reſolutionem iſtius nouæ dubitationis; quam in aliàs propoſitæ, vt ſic Epiſcopus Illerdenſis maturè valeat deliberare quomodo ſe gerere debeat circa Præsbyteros, & alios Clericos profeſſos prædictæ Militiæ Conſtantinianæ habitum deferentes, vnde videtur dandum eſſe dubium infraſcriptum:

An Militia Conſtantiniana ſub titulo Sancti Georgij ſit verè, & propriè Religio, ita quod Milites Profeſſi, qui Præsbyteri, ſeu Clerici ſunt, non poſſint obtinere beneficia Eccleſiaſtica ſæcularia abſque diſpenſatione Apoſtolica.

Ioannes Mora Procurator Epiſc. Illerdenſis.

DIE 10. Octobris 1576. Congregatio Concilij, cui interfuerunt Ruſticucius, Iuſtinianus, Cuſanus, Pereti Montaldus, Palauicinus, Mathei, Plati, Blanchetus, Manticæ, cenſuit prætenſos Milites, qui Conſtantiniani ſub titulo Sancti Georgij nuncupantur poſſe obtinere huiuſmodi beneficia abſque diſpenſatione.

Ita reperitur in libro XVIII. poſitionum Sacræ Congregationis Concilij exiſtente in Archiuo eiuſdem Sacræ Congregationis in Vaticano, & decretum eſt regiſtratum in regeſto authographo decretorum ſub dicta die, & anno. In quorum fidem &c.

Dat. Romæ 5. Aprilis 1672.

Stephanus Archiepiſcopus Brancaccius Epiſc. Viterbien. ſacræ Congreg. Concilij Secretarius.

Locus ✠ Sigilli

FIDEM

FIDEM facio Ego Sacrarum Ceremoniarum Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Magiſter, Iuris Vtriuſque Doctor, & Sedis Apoſtolicæ Prothonotarius infraſcriptus, qualiter mandante Sanctiſſimo Domino Noſtro Domino Clemente Diuina Prouidentia Papa Decimo (prout de mandato conſtat per Reſcriptum Signatum ſub die 27. Iunij 1672. à Reuerendiſſimo Domino Phœbeo Archiepiſcopo Tarſenſi Domino, ac Socio meo in eodem officio) aſſignatus fuit locus in Cappella Pontificia ſub die 28. Iunij 1672. ad primas Veſperas habitas in Sacello Paulino Palatij Apoſtolici Montis Quirinalis pro feſto Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli D. Petro Gomez Procuratori Generali Religionis Militaris Sancti Georgij, natione Hiſpano (iuxta inſtantiam factam Suæ Sanctitatis per ſupplicem libellum nomine Magni Magiſtri eiuſdem Religionis) ſub omnibus Procuratoribus Ordinum; qui Dominus Petrus Comez loci antedicti poſſeſſionem accipiendo proteſtatus eſt coram Domino Petro Paulo Bona Ceremoniarum Magiſtro meo ſocio eidem de mandato vt ſupra locum prędictum aſſignantes, ſe locum præfatum acceptare ad tenorem reſcripti Suæ Sanctitatis videlicet (ſine preiuditio dignoris loci, quatenus ei competere poſſit, & non aliàs, aliter, nec alio modo & ſicque die antedicta 28. Iunij ad veſperas in Sacello Palati Montis Quirinalis pręſente oodem Sanctiſſimo Domino Noſtro, & die ſubſequenti in Baſilica Vaticana ad Miſſam in Ara maxima eiuſdem Baſilicæ ſolemniter cantata per Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Barberinum abſente Sanctiſſimo Domino Noſtro interfuit, & ſedens locum habuit in ſcamno ſub omnibus Procuratoribus Ordinum immediatè poſt Procuratorem Ordinis Seruorum Beatæ Mariæ in Capella Pontificia, firma proteſtatione præfata.

In quorum fidem præſentes has litteras mea propria manu ſcriptas, & ſubſcriptas meo etiam Sigillo muniui. Datum Romæ in ædibus meæ habitationis die Decima quarta Menſis Iulij Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Indictione decima, Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Diuina Prouidentia Papæ Decimi Anno Tertio.

Fuluius Seruantius qui ſupra manu propria.

Loco ✠ Sigilli.
Impreſſi.



Clemens

Clemens Papa Decimus.

DILECTE Fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum ſicut Dilectus Filius Magnus Magiſter Religionis, ſeu Militiæ Angelicæ Aureatæ Conſtantinianę ſub titulo Sancti Georgij, & Regula Sancti Baſilij Nobis nuper exponi fecit, dicta Religio Proctetore apud Nos, & Sedem Apoſtolicam careat. Nos eidem Religioni de Idoneo Protectore huiuſmodi prouidere volentes, ac de tuæ circunſpectionis, ſingulari prudentia, doctrina, integritate, & Religionis Zelo plurimum in Domino confiſi; Motu proprio ac ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtris, Te ex cuius protectione, ob tuas eximias virtutes Religionem huiuſmodi plurimum commodi, & ornamenti ſuſcepturam eſſe confidimus prefatæ Religionis, ſeu Militiæ, illiuſque Domorum, ac Militum, & aliorum fratrum quorumcunque apud Nos, & Sedem præfactam Proctetorem cum omnibus honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis ad tui vitam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facimus, & deputamus. Volumus autem, vt eandem Religionem ſeu Militiam foueas, & protegas, ac Tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus, vt ſuperiorum ipſius Religionis auctoritatem quantum fieri poterit conſeruare cures, & propterea Ipſis Superioribus regimen, & gubernium ſubditorum penitus relinquas, nec in negotijs eorundem fratrum Te immiſceas, niſi ab ipſis Superioribus requiſitus fueris, vt in iiſdem negotijs, Auctoritatem tuam interponas, & tunc ſi omnino neceſſarium fore cognoueris vt eadem auctoritatem tuam in eiſdem negotijs exerceas id facere poſſis, ſed quoad poteris per te ipſum hoc facere cures, adhibito ad ſcribendum, quando opus fuerit in eiſdem negotijs ſeu cauſis loco Notarij, aliquo ex fratribus eiuſdem Religionis. Mandantes propterea Dilectis Filijs Magno Magiſtro, & alijs ſuperioribus; Nec non Vniuerſis fratribus, & perſonis quibuſcunque dictæ Militiæ, ſeu Religionis in Virtute ſanctæ Obedientiæ, vt Te in eorum Protectorem iuxta tenorem pręſentium recipientes, ea qua debent reuerentia proſequantur, contrarijs non obſtantibus quibuſcunque. Cęterum Te in Domino hortamur, vt huiuſmodi Protectoris munus ità obire ſtudeas, vt apud Deum bonorum operum retributorem æternum pręmium, & à Nobis condignam laudem valeas promereri.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXVII. Auguſti M. DC. LXXII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio I. G. Sluſius.

L. ✠ S.
Annuli Piſcatoris.

à Tergo.

Dilecto Filio Noſtro. Camillo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali Maximo nuncupato.

Digitized by Google